307

64



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſextâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. XLV.

M. FRANCISCO-NICOLAO GAUTIER DU ROCHER, Doctore Medico, Præſide.

An ventriculi & inteſtinorum ulceribus Aquæ Bareʒienſes?

I.



NTER omnes corporis partes, quæ morborum impetui frequentiùs ſubjacent, nulla eſt quæ majori caſuum periculo obnoxia ſit, quam ventriculus & inteſtina. Præter enim ea mala quo in toto corpore communia ſunt, innumeros cauſarum violentium incurſus experiuntur ſibi ſpeciatim obeundos. Aſſiduo labori vacant, operoſum, digerendi, & egerendi, munus exequuntur: quidquid eſt, in tuendæ vitæ negotio, duri, & ignobilis habent. Molunt, pinſunt, coquunt, immunda congerunt, excernunt, gemunt ſub imperio gulæ. Mancipia & operæ portium cæterarum, quarum incolumitati & commodis diù, noctuque invigilant. Adeò ut non ſecedere olim membra à ſtomaco ſed ſtomacus optare debuiſſet à membris ſeceſſionem. Nec ſatis eſt ſuos ipſis pati manes & propriam neceſſitatem, in conſortium veniunt aliarum, fere quæcumque dolent, partium. Oſtia ſunt, qua morbi in-

grediuntur, & excedunt. Alimentorum, medicamentorum, prima faciunt omnium pericula. Bilis, ſucci pancreatici, pituitæ confluentibus rivis obvia, ſentinam miniſtrant alienis impuritatibus eliminandis. Quid mirum ſi tot malis circumveniantur! Duſpepſiâ, bradupepſiâ, apepſiâ, anorexiâ, duſorexiâ, picâ, malaciâ, vomitione vermibus, flatu, aſtrictione, diarrhæâ, lienteriâ, dyſenteriâ, dolore colico, iliaco, ileo, inflammatione, ſchirrho, tuberculis, aphtis, aliiſque quibus ſuſcipiendis apta nata eſt conſtitutio partis, functio, ætas ægri, ſexus, natura tunicarum diverſi generis ſibi circumvolutarum, canalem digeſtionis conſtituentium. Inter quæ nullum infenſius & curatu difficilius quam ulcus.

I I.

ULCUS eſt fœda & impura continui ſolutio; modo ab internâ causâ natales habens, modo vulneri ſubnaſcens, nullâ, aut ineptâ medicatione tractato. Cauſam habet perpetuo aſſidentem & individuam. Ergo differt à vulnere, quod causâ ablatâ ſuperſtes remanet & exiſtit ſolitarium. Varia ſunt ulcerum nomina, pro nomine partium affectarum, pro magnitudine mali, pro diverſitate durationis, præcipuæ ulcerum differentiæ repetuntur, ex diſcrimine cauſarum & varietate humorum ex ulcere emanantium; hinc, quoad cauſam, phlegmonωdea, eriſipelatωdea, carcinomatωdea, ſcorbutica, venerea, ſcrophuloſa. Quoad effluentem liquorem, purulenta, cum incipiunt ſaneſcere: ſanioſa, cum cruda adhuc & ſemicocta humment: virulenta cum in malignam indolem & incurabilem deflectunt. Calli, fiſtulæ, ſinus, varices, ſuas appellationes ulceribus transferunt. Sunt alia ulcera depaſcentia, ſine tumore ſenſibili, nomωdea, cacoëthea, phagedænica dicta. Cauſa continens eſt vitioſus humor omniſque impuritas in parte affecta hærens. Oritur ex ſuppuratione, eroſione, ruptione vaſorum, corporis vicini attactu eo, qui unionem continuitatis interrumpere valeat, quæ reſarciri non poſſit, ſive ob defectum deterſionis, ſive ob humorum diatheſim cicatrici adverſam. Molles omnes corporis invadit partes. Modo carnes fungoſas, ſqualentes, calloſas generat, ubi ſanies conſociata cum pure, inviſcatur, nec vim poteſt exercere liberam, ſed inficit tenera pullulamenta carnium, tabidumque illinit inquinamentum ulceris margini, unde lympha nequit depluere, ſed vaſis ſuis inhæret acri luto conſtrictis, ubi paulatim induреſcit. Modo circumdepaſcitur, ſeriùs, ociùs, pro partium reſiſtentiâ & energiâ cauſæ erodentis, cuniculos agit, qua via proclivior, & obſequioſior, effoditque ſinus & fiſtulas, quæ nihil aliud ſunt, quam ſinus profundi anguſto orificio. Interea rubet ulceris periphæria; varices circumſerpunt, ſanguis enim dum præterlabi non poteſt, arietat in obicem impetuoſiùs, ſubit effugia lateralia, rubefacit, calefacit, majoremque ſui ſenſum excitat in parte jam dolente; tunc fibrillæ nerveæ irritantur, tenduntur, frænula injiciunt venulis circum ſparſis, quæ directam cum arteriis communicationem & æquabilem compreſſionem amiſerunt; hinc varices. Malum ejuſmodi adeſſe in inteſtinis aut ventriculo intelligitur, ſi præceſſerit cauſa ſufficiens, qualis inflammatio, ſine ſignis reſolutionis, cum ſymptomatibus ſuppurationis: vomitus ſanguineus, fœces cruentæ, cum ſuſpicione imperfectæ curationis; dyſenteria atrox, diuturna, acria aſſumpta, venenata; ſi aphtæ, tubercula, ſchirri, præſagiri poſſint. Talia conjicienti lucem afferent vomitus purulentus, ſanioſus; fœces purulentæ, ſanioſæ, ſi quâ arte dignoſci potuerint, cum filamentis membranoſis fragminibuſque tunicarum, horripulationes interruptæ, febris lenta, cujus cauſa aliunde deduci non poſſit; aliaque ſagaci Medico non

impervia. Pari diligentia poterit locus affectus detegi, atque ita habebitur cognitio mali difficile medicabilis, cui debellando Aquas Baregienses proponimus.

I I I.

FONTES Baregienses apud Bigerrones, siti, fama jamdudum in Europa nobiles, probatam multis successibus medelam exhibent, nec hodie primum incipiunt in usus publicos elabi. Anglos vident quotannis, Hispanos, Gallos, socialibus lymphis amice concurrentes, sine fraude dividere inter se salubres aquarum fructus, omni merce quæsitâ mari longe prætiosiores. Puri sunt & illimes fluctus, nulla tempestatum varietate mutabiles, sapore subdulci, mannato, brevi evanido afficiunt. Odore pungunt bituminoso: vapores halant continuò, rariores, aut densiores, pro statu aëris. Aqua recens hausta operitur pelliculâ oleaginosâ, mox dissipabili. Aëri expositâ viginti quatuor horis, gustum, odorem, tactum oleosum, amittit; fit aqua communis. Sedimentum constat molli sub pingui substantiâ filamentosâ. Expositum supra papirum, evolat; exceptâ siccâ & durâ pelliculâ, quæ admota igni, tota perit cum odore sulphureo, nullis relictis cineribus. Galla immissa non mutat aquam, acida non fermentescunt, neque alkalia fixa, neque volatilia. Quatuor libris aquæ evaporatis ad quatuor coclearia, liquor erat coloris fere petrolei, pinguis, oleaginosus, salsus, subdulcis, exsiccatione absolutâ, fex remansit terrea, salso alkalina, gustu salis absynthii, fermentescebat cum spiritu nitri, non cum alkalicis fixis, volatilibusve: duodecim aquæ libræ distillatæ exhibuerunt quatuor scrupulos salis alkalici, urinosi, volatilissimi. Hæc constant observatis sagacissimi Angli *Meigan*, & expertissimi Doctoris Medici *Bories*, in ipsa regione jamdiù degentis. Hinc patet aquas Baregienses esse bituminoso sulphureas, alkali pauco, volatilissimo, imprægnatas.

I V.

CURATIO Ulceris ventriculi & intestinorum duplicem Medico operationem indicat. Providere humorum integritati restituendæ, ut parti morbosæ procuretur ros ille epuloticus, aptus partibus regenerandis. Secundo topicum ulceris vitium, quâ fas est arte, emendare: moliri scilicet detersionem sordium, emollitionem callorum ablationem carnium fungosarum, resolutionem infarctûs. Quod competit Aquis Baregiensibus. Sulphure levissimo & alkali volatilissimo imprægnantur dividere, dissolvere, attenuare efficaciter possunt & humores qualescumque spissatos, & compactos, efficere fluidiores, atque hinc ad motus circulatorios secretiones, excretiones expeditiores. Stimulo alkalino pungere, sollicitare, cogere valent vasculorum fibrillas ad nisus vividiores, unde trituratio, subactio, stagnantis motio, progressio vegetior; quâ separatio fœcum, & eliminatio, integritasque remanentis liquidi cum adauctâ vasorum vi & restitutione roboris obtinetur. Præterea pituitam, bilem induratam, excrementa recocta, solvunt, detrudunt. Vim augent gastricam: chylum efficiunt puriorem, perfectiorem, hinc libertas functionum, facilitas, sanitas. Nunc vero ad partem ulcerosam magnâ copiâ defluere possunt immediate, toto intestinorum ductu; ibi virtute suâ soponaceâ saniem dividunt ulceri circumlitam, mortua à vivis segregant, exsiccant ulcus, & impuram scaturiginem exhauriunt. Cedit induratio callorum blando aquarum balsamo, spicula alkalina incidunt lympham inspissatam, in fluorem agunt, dum pars aquæ immissa venis ex artera parte, pari successu, eidem operi allaborat. Hinc oppugnatio du-

plex, cujus ope, moles infarctûs paulatim ruit, quâ penitus erasâ, abit periphæriæ. Rubor cum varicibus, & ulcus jam ad sortem vulneris coercitum, curatur nullo remanente cicatrici obice.

V.

JAM diù in usu est Aquas Baregienses adhibere externis ulceribus. Injiciuntur utero, vesicæ, urethræ, ano. Quæ religio eas à ventriculo & intestinis amoveret. Ibi enim in suos vulgatos usus applicantur, & topice agunt. In ventriculi ulceribus illud perspicuum est. In ulceribus intestinorum crossorum clismatibus infundi queunt sicut in vesicam. In intestina tenuia immediatè & libero tractu delabi possunt, modo vacuo ventriculo hauriantur, ambulatione, motu, præcipitentur. Verum, esto, ineant humorum vias. Quid inde periculi? An non ingeruntur sæpissime in asthmate humido, & calculo renum contra quæ mira præstare judicantur. Prudenter propinari debent nec statim magna ægrotanti copia proponenda est. A paucâ quantitate exordiri tutius & ad majorem, si juvat, procedere, præmissis cautionibus, quæ in usu saponacearum & sulphurearum aquarum locum habent. Diæta imperanda quæ conveniat ulceri & aquis. Habita ratione omnium circumstantiarum, quæ à præsente Medico animadverti quam hic loci commemorari facilius possunt.

Ergò ventriculi & intestinorum ulceribus Aquæ Baregienses.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Guillelmus Ruellan.
M. Petrus Arcelin.
M. Petrus Chevalier.
M. Franciscus Bernard.
M. Joannes le Thieullier.
M. Jacobus Verdelhan des Moles.
M. Eliæ Col de Vilars, Ex-Decanus & Academiæ Censor.
M. Henricus Besnier.
M. Joannes Besse, Dotariæ Hispaniarum Reginæ, dùm viveret, Medicus Primarius.

Proponebat Parisiis, JULIANUS HINGANT, San-Briocensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A.R.S.H. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.